Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1881
Quelle:
Copyright:

tibi sit criste quoniam liber explicit iste. Adjectus Index ὁ ἰκονομιαν Sermonum exhibet.

II. *fol.* 305. sequitur, ut jam in fronte Codicis post *Gilbertum* adnotatur: *opus iohannis Gallensis quod adpellatur summa collectionum seu breuiloquium.* Observavi jam ad alterum Exemplar, quod hoc *Vol.* inter Codices *Dogmaticos* occurrit, varios hujus Operis ferri Titulos, quos Amanuensium liberalitati, ut videtur, debemus. Sed nos ipsum Autorem audiamus, qui ita orditur: *Cum collectionis huius que potest dici summa collectionum* &c. In Exemplo *cit.* additur: *siue communeloquium*, quod hic deest, et fortassis etiam tantum irrepsit. Ceterum *Breviloquium* in Titulo nostro manifestus est Librarii error; ita enim aliud *Wallensis* Opusculum inscribitur, ut testantur Literatores ad Codicem *cit.* a me adducti, quem, si lubet, adi. In praesenti adjectus est praecipuarum materiarum Elenchus.

DCCLXXXV.

R. 3100 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 216. 4. per duas columnas non una manu, et parte quidem priore melius exaratus, rubricis distinctus, et olim *Monasterij Sancte Dorothee in Wienna* aliud est *Gilberti Tornacensis* Exemplar ejusdem cum superiore rationis, nisi quod ad calcem primum *Tabulam Distinctionum* seu Rerum praecipuarum ordine alphabetico habet, dein *Rubricas*, sive Titulos CCXI. Sermonum cum singulorum Initiis.

DCCLXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 201 ineuntis Folior. 305. 4. a *fol.* 192. alterius manus rubricis enotatus, continet *Simonis de Cremona* O. Erem. S. *Aug.* Oratoris Sec. XIV. percelebris *Sermones super Epistolis omnium Dominicarum*, sive *Postillarum* Partem II. Prior enim est *super Evangeliis.* Pars utraque mihi objacet impressa simul *Reutlingae* 1484. f. Utramque inscripsit Autor Fratri suo germano *Antonio*, et nostram quidem ita: *Frater symon de cremona ordinis fratrum Heremitarum sancti augustini viro magne honestatis, maioris caritatis* (castitatis?) *maxime castitatis* (caritatis?) *p. antonio eiusdem ciuitatis salutem et osculum pacis.* Et mox: *licet enim vester sim germanus* &c. *Sermonibus* LII. a Dom. I. *Adv.* usque ad Dom. XXIV. post. *Pentec.* constat Opus, et sequente gaudet clausula: *Explicit opus predicabile ad populum super epistolas dominicales conpilatum per fratrem symonem de Cremona ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini Scriptum pro parte* (posteriore) *per me fratrem Nycolaum Muczbas ordinis fratrum predicatorum Anno Domini M°. CCCCII°. et finitum in die sancti alexij confessoris.* Sequitur Index. De *Simone*, ceterisque ejus Scriptis adi, si lubet, *Ossingeri Bibliothecam Augustin.* p. 275.